

5<sup>o</sup> *scilicet* denique universalia realia, seu a parte rei constituerunt. Alii cum Scoto Erigena, cui suffragati sunt Almaricus de Bene et David de Dinant, extra individua posuerunt hæc universalia, quæ realiter in ipsa natura divina continerentur: hæc natura, juxta Reales istos, est essentia realis omnium rerum. Pantheismus ergo inveniunt, ideoque huic errori jam alibi occurimus (II, 11, 12) Alii Reales, post Guillelmum Campellensem, putabant genera et species esse realem individuorum essentiam quæ realiter esset omnibus communis.

Hi errores in sequentibus propositionibus confutantur.

246. — THESIS I. *Universalitas in meris vocibus non continetur.*

*Nota.* Juxta Nominales, universalia nihil aliud sunt quam vocabula quedam collectiones individuorum indefinite et confuse significantia; ab uno individuo vox desumitur, quæ deinceps ad alia individua huic similia denotanda adhibetur.

*Prob.* 1<sup>o</sup> Vocabula sunt signa idearum; atqui si non darentur idee universales, termini communes haberi non possent tanquam signa idearum. Etenim hæc vocabula communia, 1<sup>o</sup> unum tantummodo individuum non significant, ut patet, neque 2<sup>o</sup> aliquam collectionem: nomina, quæ collectionem indicant, v. g., acies, populus, de singulis dici nequeunt, dum nomina communia, v. g., homo, arbor, de singulis, non verò de collectione dicuntur. Ergo nisi vocabula communia sint significatione prorsus vacua, nempe soni inanes, universalia non in meris vocibus sita sunt.

*Prob.* 2<sup>o</sup>. Similitudo inter diversa individua deprehendi nequit nisi dispicatur aliquid pluribus commune, nempe a quolibet individuo determinato avocatum; atqui ejusmodi perceptio ideam universalem manifeste importat. Ergo vocabulum commune, juxta hypothesim Nominalium sumptum, eformari etiam non posset sine prævia universali idea.

247. — THESIS II. *Conceptus universales fundamentum habent in rebus.*

*Nota.* Juxta Conceptuales, in rebus ipsis nihil responderet conceptibus universalibus, qui essent mere subjectivi atque plurim convenientiam exhiberent secundam eandem mentis considerationem.

*Prob.* I. Primum argumentum thesis superioris valet etiam contra Conceptuales: nam sicut vocabula sunt signa conceptuum, ita conceptus sunt signa rerum.

II. In hypothesi Conceptualium, sequens propositio: Petrus est homo, significaret: Petrus est idea seu conceptus mere subjectivus hominis. Atqui in verbis subjecta sententia non est hæc; homo enim manifeste intelligitur de aliqua realitate objectiva, quæ in singulis hominibus sequè invenitur. Ergo idee universales non sunt conceptus mere subjectivi, quibus in ordine objectivo nihil responderet.

III. Conceptualismus realitatem scientiarum destruit, nam scientiæ sunt de universalibus (143); porro, in hac hypothesi, universalia essent duntaxat factus mentis quibus extra mentem nihil congrueret. Ergo scientia esset tantum de mentis affectionibus, non autem de rebus.

248. — THESIS III. *Universalitas ipsa non est formaliter in rebus.*

*Nota.* Hic non agitur directè de Platonis, qui putaverunt universalia esse formas per se subsistentes, æternas, incorruptibiles, a singularibus realiter sejunctas; item ontologicum realismum in presens prætermittimus, juxta quem universalia a parte rei essent ipsæ idee divina, seu divina essentia.

Eos tantum directè impugnamus philosophos qui contendunt universalia esse in rebus, non modo quoad rem, verum etiam quoad universalitatem: in hac ergo sententia, individua non differunt in essentia, quæ haberetur ut physice una omnibusque communis, sed solum in accidentibus.

*Prob.* I. Aliquid non potest esse simul universale et singulare, ut patet; atqui adversarii naturas habent ut simul universales et particulares: natura humana, v. g., esset in Petro simul singularis et universalis, siquidem

universalitas ipsa est in rebus, seu natura *secundum se* sunt universales. Ergo.

II. Si natura secundum se est universalis, tunc propositio sequens est vera: *Petrus est humanitas*, eodem pacto atque hæc altera: *Petrus est homo*; natura enim humana est universaliter in Petro. Atqui id patentibus scætat absurdus: in hac hypothesi, Petrus esset universalis, immutabilis, fluxui temporis non obnoxius, etc.

III. Hæc doctrina viam ad pantheismum complanat. Etenim si universalitas est *a parte rei*, tunc genera sive proxima sive remota, non secus ac naturæ specificæ, sunt universalia non tantum in mente, sed etiam in rebus. Quare ergo *notiones transcendentales* non exhibent aliquid realiter commune omnibus individuis existentibus?

#### II. Vera sententia circa naturam universalium.

249. — S. Thomas, S. Bonaventura et omnes Scholasticæ sapientiæ principes docent esse quidem in rebus naturam, quæ in idea universali concipitur, sed *universalitatem* a solo intellectu venire. « Natura, cui accidit... intentio universalitatis, ait S. Thomas, non est nisi in singularibus; sed hoc ipsum quod est... intentio universalitatis, est in intellectu (1). » *Hic realismus temperans* in præsens explicari debet.

Sed in antecessum sedulo adnotandum est 1º duplicem esse intuitionem, *directam* scilicet et *reflexam*. Per intuitionem directam intelligitur perceptio objecti a facultate distincti. Sed postea mentem defigere possum in ideam per hunc actum directum acquisitam, et hæc nova consideratio, seu *secunda intentio*, est intuitio reflexa seu *reflexio* (II, 203); secunda intuitio priorem perficit, quatenus notiones acquisitas magis distinguit.

Præterea 2º, in qualibet intuitionem duplex distingui debet terminus, ut jam antea diximus (II, 191), *objectivus* nempe et *subjectivus*; hunc duplicem terminum habemus etiam in cognitione reflexa: idea in mente existens est terminus objectivus, seu est in hac cognitione *id quod percipitur*, actus mentis hanc ideam *denuò exprimens*, seu potius id

(1) Summ. th. I, p. q. 83, a. 2, a. d. c.

quod edit recogitatio dicitur terminus subjectivus intuitionis reflexæ.

Terminus subjectivus cognitionis directæ fit terminus objectivus secundæ intentionis.

250. — Jam verò universale, ut sic, est terminus subjectivus alicujus intuitionis sive directæ sive reflexæ. Universale enim, ut diximus, (II, 192) distinguitur in *directum* seu *fundamentale*, et *reflexum* seu *formale*: prius est terminus subjectivus solius intuitionis *directæ*, dum alterum cognitionem *reflexam* semper importat: universale reflexum *formaliter* includit *relationem* seu *habitudinem ad multa*; hæc autem relatio unius ad multa est opus reflexionis.

Itaque universale, quod est propriè intelligibile humanum, consurgit tum ex parte rerum, tum ex parte intellectus; est ergo reale *quoad rem*, quæ universalis denominatur, non autem *quoad modum*, quo hæc naturam aut essentiam exprimit; modus secundum quem res existunt, differt a modo quo in conceptibus universalibus exhibentur. Quidquid ergo est in *comprehensione* notionis universalis est etiam in rebus; sed *extensio* hujus notionis, seu communitas pluribus, est logica tantum.

#### § II. Systema scholasticum circa originem idearum.

251. — Systema illud, quod Aristoteles hand obscure innuit, quodque, post S. Augustinum, omnes scholæ principes tuiti sunt, ad formam omninò scientificam exegit S. Thomas. Huic systemati suffragati sunt etiam omnes theologi, tam veteres quam recentiores, qui pondus habent.

In præsentii expositione hunc ordinem sequemur quem superius delectum habuimus, dum naturam sensationis exposuimus. Itaque 1º universam exprememus systematicam comprehensionem; deinde 2º præcipua hujus sententiæ capita diversis argumentis vindicabimus; denique 3º ordinem quo mens humana in cognoscendo progreditur explicabimus.

#### I. Systema in universum exponitur.

252. — In systemate scholastico, ideæ non a solis sensibus, nec a solo intellectu, sed concurrente utraque

facultate, efformantur; hæc ergo sententia medium tenet iter inter systemata empirica, quæ ultra sensationem nihil agnoscunt, et idealismum, qui intellectum prorsum separa- rat a rebus materialibus et facultatibus sensitivis.

Juxta auctores superius laudatos, intellectus et ob- jectum suo modo concurrunt ad intellectionem. Vidimus antea objectum proprium intellectus esse rerum corporea- rum essentialium (II, 189, 190) et ejus objectum adequatum esse quiddam entitatem aliquam habet (II, 188); sed hic nomine objecti venit simpliciter res ipsa cognoscenda.

253. — *De objecti munera in actu intelligendi.* Intel- lectus, natura sua indifferens ad hoc vel illud percipien- dum, ab ipso objecto determinari quodammodo debet: id in primis declarare expedit:

1° Jam antea modum expendimus quo objecta corporea sensus movent ac determinat ad speciem expressam effor- mandam. Hæc autem species seu representatio sensilis objectorum, primo est in sensu, secundo in imaginatione, in quantum imprimitur a sensu, atque nomine generico *phantasmatis* designatur. Phantasma, ut ait S. Thomas (1), est objective similitudo individui in organo corporeo, et subjective actus vitalis facultatis sensitivæ.

Porrò ab illius phantasmatis presentia intellectus *extrinsecus*, fit expeditus ad agendum, quatenus externas condiciones ad suam operationem requisitas habet. Inde dimanat effatum scholæ: *cognitio exordium ducit a sensu*, quod a quibusdam formula sequenti efferi solet: *nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*.

Illud tamen pronuntiatum rectè intelligi debet, nam in sensum falsissimum a sensistis non rarè detorqueatur, scilicet ad negandum cognitionem immaterialium. Sic ergo accipiendum est: objecta materialia, quæ intellectus perci- pit, debent prius apprehendi a sensibus, licet in iisdem objectis aliud sensus et aliud intellectus referat. Sensus enim qualitates sensibiles attingunt, dum proprium intel- lectus objectum est ipsa quidditas seu essentia (II, 180).

Quomobrem phantasmata ad exercitium virtutis intel- lectivæ prærequisita, hanc virtutem determinant, qua-

(1) l. q. 87<sup>o</sup> q. 2; etc.

tenus ejus *indifferentiam ad omnia* tollunt, animam jam conjungendo per sensum cum rebus determinatis (1).

2° Verum phantasmata seu species sensibiles non pos- sunt ipsi intellectui, qui est immaterialis, imprimi, sicut species quæ est in sensu, imprimi eam quæ est in ima- ginatione: phantasmata enim proprium objectum intel- lectus non constituunt; porrò omnis potentia, quæ deter- minatione indiget, nonnisi a proprio objecto intrinsecus affici ac determinari potest. Visus, v. g., sonis non deter- minatur, nec auditus, coloribus, etc. Itaque phantasmata facultati intellectivæ objecta duntaxat admovent, et quodammodo proponunt. Hoc sensu S. Thomas docet phantas- ma esse objectum intellectus possibilis (2), non tamen pro- prium et propinquum (3).

254. — *Quid agat intellectus in cognitione intellectuati.* In intellectu humano duplicem agnoscunt scholastici, post Aristotelem, potentiam, nempe *intellectum agentem* et *intellectum possibilem*. Intellectus agens est facultas activa, quæ *per se*, aut, juxta quosdam, sed minus recte, influxu voluntatis, est determinata ad agendum, et presentiam sui objecti tantummodo exquiri. Intellectus possibilis est potentia passiva simul et activa. Hi intellectus, juxta sat communem sententiam, realiter non distinguuntur: haberi igitur possunt ut conceptus inadequati intellectus nostri (4). Tamen S. Thomas (5), S. Bonaventura, Alb. Mag- nus, etc., sententiam contrariam tenent. His prænotatis.

1. Totius systematis cardo stat in affirmanda et demon- stranda existentia *intellectus agentis*. Quomobrem tota controversia circa hujus intellectus realitatem et munus præcipue versatur.

1° *Intellectus agens* est et dicitur lumen intellectuale. Per lumen generatum intelligitur id quod res visibiles aut cognoscibiles facit, ideoque *lumen intellectuale* idem valet

(1) In receptione specierum in intellectu possibili, phantasmata se ha- bent ut agens instrumentale et secundarium, sed intellectus agens, at agens principale et primum. S. Th. De Verit. q. 10, c. 7.

(2) l. 2, q. 50 a. 1; de Verit. q. 10, c. 7, etc.

(3) 3, q. 11, 2, 1; de Verit. q. 10, c. 1, etc.

(4) Vide Suarez, *De anima*, l. IV, c. VIII, n. 12 et 13.

(5) In 1, 2 Sent. d. 17 q. 2 a. 1.

ac *manifestationem faciens* secundum cognitionem intellectuale (1).

Porrò lumen illud duo munera circa phantasmata obit: 1<sup>o</sup> *illuminat*, nempe ad phantasmata se convertit (2), quæ, vi hujus conversionis, ponit in *potentia proxima* ad essentiam rerum manifestandam; phantasma enim per conjunctionem cum intellectu agente habilis evadit in ordine ad supra dictam manifestationem, quæ dicitur *illuminatio*.

2<sup>o</sup> Abstrahit species intelligibiles, nempe, « facit phantasmata a sensibus accepta intelligibilia in actu per modum *abstractionis* cujusdam (3). »

Verum species intelligibiles diversi generis est ac phantasmata, unde abstractio haberi nequit ut quadam eductio quæ fieret per phantasmatis transmutationem. Abstrahere enim hic idem est ac considerare in phantasmate essentiam rei sine ullis conditionibus materie. Hæc operatio etiam *illuminatio phantasmatis* vocatur; itaque conjunctio phantasmatis cum intellectu est *illuminatio in actu primo*, dum abstractio, est *illuminatio in actu secundo*. Hinc S. Thomas docet speciem intelligibilem esse a phantasmate secundum suum esse materiale, et ab intellectu agente secundum esse formale, id est, ut est intelligibilis in actu (4).

2<sup>o</sup> Abstractio duplex distingui debet; *naturalis* scilicet et *formalis* (5). Dicitur *naturalis* quando cognitionem et collationem terminorum non expositat. Exemplum desumere possumus ex sensatione: olfactus, v. g., in aliquo fructu odorem tantum percipit, color, sapor, etc., imò et ipsi fructui non attendens. Ad hoc genus pertinet abstractio qua intellectus agens speciem intelligibilem educit, seu

(1) S. Th. 1 p. q. 67 a. 1; I. Sent., dist. 39 a. 3 q. 2.

(2) Juxta plures, *conversio* ad phantasma dicitur *de sola abstractione*, seu de *illuminatione in actu* 2<sup>o</sup>: hæc *illuminatio* fieret sub impulsu voluntatis, dum *illuminatio radicalis* fieret sine influxu voluntatis, seu ex ipsa natura intellectus agentis.

(3) S. Th. 1, q. 79, a. 3 ad 3.

(4) 1. q. 84, 6, q. 85, 1; de Verit., q. 10, 6; etc.

(5) Suarez duplicem tantum distinguit abstractionem: *universalem* et *formalem* seu *præcisivam*: dicitur *universalis* quando in potentia claudit inferiora. (de Anim. 1, 4, c. 3 dub. 4).

essentiam conditionibus materie: expoliat: hæc actio dicitur in schola abstractio *simplicitatis*.

Abstractio est *formalis* quando per cognitionem et collationem eorum quibus subiectum aliquod constat, quibusdam tantum attendit, aliis relictis (53). Hæc abstractio fit per modum *compositionis* et *divisionis*, prout « intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatam ab eo (1). » (a)

3<sup>o</sup> Intellectus agens speciem intelligibilem modo determinato abstrahens, eam non in se recipit, sed per eam movet intellectum possibilem, eo fere modo quo objectum sensibile determinat sensum (II, 225): quam ob causam hæc species dicitur *impressa*. Sic ergo res extra animam speciem imprimunt in intellectu possibili per operationem intellectus agentis. (2)

II. Primum ergo *intellectus possibilis* munus est formam abstractam recipere (3): sub hoc respectu est facultas mere passiva. Sed semel per speciem impressam determinatus ac motus ad agendum, operationem cognitivam elicit, atque rei intellectæ *intentionem* in se format, quæ est terminus subjectivus intellecti; hic terminus dicitur *species expressa, verbum internum aut verbum mentis* (4),

(1) S. Th. 1, q. 83, a. 1; Cf. art. 5, ejusd. quest.

(a) Admonere hic non alienam erit triplicem a scholasticis distingui præcisionem: *physicam scilicet, logicam et metaphysicam*. Prima est separatio partis a parte, ut manûs a corpore. Secunda est apprehensio ejusdem quasi a seipso distincti: v. g. Filius Beatæ Virginis Mariæ et Christus Dominus: inter abstractionis membra viget distinctio rationis ratiocinantis (34).

Præcisio metaphysica, seu *abstractio* propriè dicta, duplex est: *formalis et objectiva*: prior fit ab intellectu unum sine altero, cum quo realiter identificatur, concipiente. Id duobus modis contingit; quorum primus est id quod, cum recentioribus, abstractionem *naturalem* appellavimus; alter modus constituit abstractionem *formalem*, propriè dictam. Abstractio dicitur *physicam* quando ratio abstracta, non modo in mente abstrahentis, sed etiam objective et in re ipsa præscindit ab aliis rationibus quibusque in subiecto realiter ident. fœatur: v. g. conceptus genericus *animalis* respectu conceptus differentie *rationalis*. Est igitur abstractio *adequata*: id quod abstrahitur adequate distinguitur ab aliis. In abstractione formali, ratio abstracta *per se* et objective non præscindit propterea ab aliis, adeoque est notio *inadequata*.

(2) S. Thom. Verit. q. 22, 3, 40; etc.

(3) Cf. S. Thom. 1, d. 85 a. 2, ad. 3.

(4) S. Th. 1, q. 78 a. 10 ad 4 in sensu strictiori usurpare videtur

*conceptus, idea, etc.* Verbum internum est formalis similitudo objecti cogniti, dum species impressa est similitudo effectiva (II, 234) (1).

Ex his colligitur intellectum possibilem esse potentiam activam simul et passivam; operatur cognoscendo, sicut intellectus agens, illuminando. Dicitur *possibilis* quia est privatio actualis cognitionis, ac proinde specialis estiam speciei impressæ: unde duplex manus exercet: recipit speciem impressam, et intellectionem emittit.

III. Species intelligibilis non est id quod intelligitur; illud enim quod *primò* intellectus intelligit est res, cujus species impressa est similitudo. Terminus igitur *objectivus* actus intelligendi est res in propria natura; terminus *subjectivus* est verbum mentis seu expressio aut similitudo ejusdem rei; species intelligibilis impressa est id quo potentia passiva ad intelligendum movetur: inde dicitur *objectum quo* aut *medium quo* (II, 222).

255. — Ut totius systematis precipua capita paucis recensamus:

1º Sensationes et phantasmata sunt conditio necessaria ad intellectionem, vel etiam causa instrumentalis et secundaria (2), quatenus objectum intellectui agendi obijciunt atque ad illud collustrandum hanc facultatem *extrinsecus* determinant sive subjective per quamdam naturalem veluti sympathiam facultatum ob communem radicem in eadem anima seu commune subjectum, sive objective et propterrime per debitam presentiam objecti.

2º Intellectus agens est vis activa prorsum, quæ ideo per se semper prona est ad agendum; itaque intrinseca non eget determinatione. Est lux quaedam spiritualis, quæ

*escri interni nomen*: habetur quando mens, semel recognita veritate alienius rei, excogitat idonea media ad hanc ceteris manifestandam: et hoc ipsa dispositio et tendentia est *verbum internum*. Tamen aliis in locis in sensu laetiori sumit verbum internum seu verbum mentis, quod nihil aliud est quam conceptio intellectus, id est, ipsam intelligere, vel species intellecta. » 1 dist. 27. q. 2, 3; 1 q. 22, 1; etc.

(1) In sententiis eorum qui docent *singularia* ab intellectu prius cognosci quam *universalia*, operatio que mens producit speciem expressam esset abstractio formalis. Vide Suarez, *de An.*, l. 4, dub. 2. Cf. Sans-serifio dya. pars sp.

(2) Vid. Suarez, de Anim. l. IV, c. 2. n. 4-10.

*solum* collustrat objecti *quidditatem*, quam actu intelligibilem reddit (Cf. II, 186).

3º Intellectus possibilis est potentia passiva, quæ *intrinsecus* determinari debet ad agendum; ab intellectu agente movetur, ope speciei impressæ, quæ est *medium quo* intellectus *patiens* excitatur. Hic intellectus ita motus ac determinatus ideam rei presentis operatione quadam immanente producit, sub hoc respectu est activus. Actus ille, quo producit speciem expressam, *directe et immediate* rem ipsam respicit non verò *medium quo* movetur. In hac ergo sententia, omnes facultates cognitivæ ad actum intelligendi concurrunt, ita tamen ut inferiores ad superiores referantur.

II. — Systematis scholastici veritas ostenditur.

256. — Thesis I. *In presenti vite statu 1º intellectio fit dependenter a representatione sensibili, quæ tamen 2º virtutem activam effectivæ et intrinsecus determinare nequit.*

*Probatur 1ª pars thesis* (1).

1º Experientia constat hominem qui uno sensu caret, nunquam ea cognoscere quæ sub illum sensum cadunt; v. g., cæcus nec colores agnoscit, nec certum de iis fore potest iudicium; inde qui rem sensilem nullatenus sensu exceptit, hujus rei ideam non habet. Ergo intellectio aliquo modo fit dependenter a sensibus.

2º Intellectus est potentia ex se indifferens ad omnia, siquidem propriam ejus objectum est omne ens. Atqui id quod ex se indifferens ad omnia cognoscenda, debet ab alio sibi conjuncto determinari ad hoc ut e statim indifferentia exeat, seu in aliquod ens determinatum intendat. Ergo cum sensitiva operatio *sola* possit objectum sensile ab intellectu quidditative percipiendum animo conjungere, fit ut representatio sensilis duntaxat intellectum determinare queat (2).

*Prob. quoad secundam partem.* Res materiales earumque sensiles representationes intellectum *intrinsecus* afficere non possunt.

1º Perceptiones sensiles ac phantasmata conditionibus materiæ non sunt expedita; porro res materiales, ut con-

(1) Prima pars est contra cartesianos, Fichte, ontologos et traditionalistas: secundo impugnat sensitistas et traditionalistas.

(2) Suarez, de Anim. l. IV, c. 2, n. 11.

stat ex dictis, potentiam spirituales et inorganicam movere ac intrinsicè immutare nequeunt; nam si res corporeæ in intellectum effective et immediatè agere possent, seu si speciem aliquam imprimere, intellectus non esset facultas inorganica seu a materia plane libera (II, 194). Ergo impossibile est ut res materiales intrinsicè intellectivam virtutem afficiant, eamque effective et immediatè moveant ac determinent.

2<sup>o</sup> Representationes sensiles non nisi in facultate organica residere possunt, minime vero in facultate immateriali, secus hæc facultas esset simul incorporea et tamen corporeo modo ageret: sicuti v. g., forma rei colorata, quæ est in visu, nequit esse forma auditui inherens, ita a fortiori representatio sensilis nequit intellectui conjungi ut forma inherens. Ergo res materiales ac phantasmata ad perceptivam virtutem intellectus immediatè et positive determinandam imparia sunt.

257. — Sch. Sensiles ergo representationes, quæ requiruntur ad hoc ut fiat intellectus, per se non sufficienti ad intellectum, propriè determinandum; in hoc tamen sensu intellectum determinare dici possent quod eadem anima que sentit et intelligit, jam movetur seu determinatur in parte inferiori: sed id non directè et immediatè determinare intellectionem.

258. — THESIS II. Ad intellectionem explicandam supponi debet in animo quædam spiritualis virtus activa, quæ intrinsicè non egat determinatione, et virtutem perceptivam intellectus intrinsicè determinare possit.

Nota. Intellectus agens, ut diximus, est systematis scholastici elementum hypotheticum cujus existentia probari debet; itaque realitas hujus potentia, ex ejus necessitate deducitur, non autem solè experientia demonstratur.

Prob. I. Vis intellectiva est quodammodo passiva, ideo quia natura sua indifferens est respectu entis alicujus determinati (II, 250); quomobrem determinari debet ut in aliquod objectum speciale intendat; imò hæc determinatio *intrinsicè* esse debet, siquidem indifferenter est *intrinsicè*.

Atqui res materiales, sive in propria natura spectatæ sive in representationibus sensibilibus, ex se sunt impares ad hanc vim *intrinsicè* determinandam, ut mox probavimus.

Ergo ut intellectus patiens operetur, determinari debet

ab aliqua vi spirituali quæ sit facultas omni ex parte activa, et ipsi intelligentia intrinsicè.

II. Si intellectus agens rejiceretur, intellectus cognoscens, qui est passivus, determinaretur sive a rebus materialibus, sive ab aliqua vi spirituali nobis extrinseca, aut ab aliquo intelligibili in actu. Atqui primum, cujus impossibilitas superius demonstrata fuit, ruit in sensussumum; alterum in falsa systemata quæ postea coarctantur, impingit. Ergo existere debet in anima humana illa virtus activa quæ intellectum possibilem determinare atque res actu intelligibiles reddere valeat. Hoc virtus omni ex parte activa ab Aristotelo meritò *intellectus agens* appellatur. « Illa potentia... », ait S. Bonaventura, quoddam lumen est, de quo lumine potest intelligi illud Psalmi: Signatum est nos lumen vultus tui, Domine (1). »

259. — Schol. II. P. Palmieri intellectum agentem prorsus rejicit, quia hæc facultas esset omnino inutilis, cum ipsa sensitio, prout est actus ejusdem subjecti — sensitivi simul et intellectivi — sufficienti ad determinandum intellectum ad hoc vel illud actu cognoscendum (2). At intellectus, etsi vitaliter moveri possit ad motum facultatis sensitivæ, non potest tamen determinari « ad hoc vel illud cognoscendum », nisi res aliquo modo objectivè se habeat: si quidem motus ille vitalis, non secus ac ipsa facultas, respiceret indifferenter omnia intelligibilia, seu non magis ad unum quam ad aliæ se haberet. Ergo, licet fiat aliqua excitatio subjectiva ratione unitatis principii sentientis et intelligentis (II 255), requiritur tamen determinatio aliqua objectiva, et ideo remanent probationes.

260. — THESIS III. Intellectus possibilis est facultas passiva simul ac activa.

Nota. Existentia hujus facultatis probatione non indiget, ut per se patet; unde agendum est dumtaxat de ejus natura.

Prob. I<sup>a</sup> pars, nempe intellectum esse facultatem ex parte passivam.

1<sup>o</sup> Id jam constat ex antea dictis (II, 250). Præterea ex ipsa definitione passivitatibus (3), et simul ex ipsa experientia liquet intelligere esse quoddam pati.

2<sup>o</sup> Facultas cognitiva ex se indifferens est ad talem cognitionem potius quam ad aliam; atque indifferenter *intrinsicè* aliquam expostulat immutationem ex parte ejusdem principii activi. Ergo ut intellectus possibilis ex indifferenti statu crearet, ab alio determinari debet, cujus proinde

(1) In lib. II Sent. d. 24, p. 1, a. 2, q. 4.

(2) Anthropol., c. IV, a. 4, Th. 23.

(3) S. Th. I, q. 79, a. 2.

influxum patitur. Ergo cognoscitiva facultas seu intellectus possibilis est facultas passiva.

*Prob. II<sup>a</sup> pars.* Si intellectus possibilis esset potentia mere passiva, sola receptione speciei intelligibilis consummaretur ejus munus; atqui id prorsus repugnat: etenim 1<sup>o</sup> si res ita se haberet, intellectus possibilis non esset facultas qua cognosceret; 2<sup>o</sup> intellectio non esset operatio vitalis et immanens facultati intellectiva, sed esset transiens alicujus agentis actio quæ in intellectu reciperetur; ideo intellectus noster reapse non perciperet. Ergo intellectus possibilis est etiam facultas ex parte activa.

Quibus de causis intellectus noster est passivus respectu speciei impressæ quam recipit, et activus respectu speciei expressæ seu verbi mentis, quod actione immanente et vitali produci.

261. — *Schol.* Hæc actio non distinguitur a verbo nisi secundum concipiendi modum: verbum in fieri est hæc ipsa actio; verbum in facto esse est qualitas producta. Chim enim cognitio sit actio immanens, id quod fit non est res altera diversum ab actione illa.

262. — *Thesis IV.* Abstractio ad universalitatem, necessitatem, immutabilitatem, etc., idearum explicandum sufficit.

*Prob.* Ad universalitatem idearum obtinendam, sufficit ut quædam existentia quoad solam quidditatem seu essentiam considerari possit, relictis iis omnibus que hanc essentiam in ratione existentie constituent. Etenim natura, quoad omnia quibus intrinsecus constat, est eadem in singulis individuis; existentia duntaxat est diversa: v. g., natura trianguli, quoad intrinsecam constituentiam, est eadem in omnibus triangulis quomodocumque delineatis. Itaque ad naturam communem obtinendam, sufficit ut in aliquo individuo ipsam essentiam absolute deprehendam, relictis omnibus conditionibus existentie particularis.

Atqui id perfecte præstat abstractio, quæ in eo consistit ut exprimat solam essentiam, relictis omnibus proprietatibus individuantiibus, seu iis que essentiam comitantur in aliqua existentia particulari. Ergo in solâ abstractione ratio sufficiens habetur universalitatis, necessitatis, etc., conceptuum.

263. — *Schol.* Quælibet requiritur et sufficit ut homo præditus sit aliqua facultate idonea ad solam quidditatem in quodam individuo de-

prehendendam, sicuti, v. g., visus in aliqua re simul colorata, gravi, calida, dura, etc., colores tantum percipit.

264. — *Thesis V.* Id quod per cognitionem directam intelligitur, non est species impressa vel expressa, sed res ipsa, cujus species sunt similitudines.

*Nota.* Hic agitur de cognitione primaria et directa, qua primò essentiarum conceptus acquirimus, minime verò de cognitione reflexa; haud dubium est quin per cognitionem reflexam ipsas species abstractas attingere valeamus.

*Prob.* Si species sive impressæ sive expressæ essent id quod intelligitur, intellectus nonnisi proprias affectiones cognosceret (I); atqui id manifestò falsum est: nam sequeretur 1<sup>o</sup> mentem, quæ proprias tantum passionem habere, nullam de rebus externis scientiam habere, 2<sup>o</sup> omnes cogitationes veras esse, cum omnis inter *cognitionem* et *objectum* cognitum dissensus esset impossibilis; essent enim hæc duo unum quid et idem: inde duo contradictoria esse possent simul vera. Ergo id quod per cognitionem directam intelligitur, est ipsa res, cujus species intelligibilis est similitudo.

265. — *Schol.* Species impressa haberi debet ut id quod intellectus possibilis ad cognoscendum movetur; hæc enim species, non formaliter sed effectivè objecta representant, atque potius se habet ad modum principii, seu instrumenti primarii, quam ad modum termini seu objecti cognitionis. Species expressa seu verbum mentis non est etiam id quod cognoscitur sed id quo reipsa cognoscitur; tamen in cognitione reflexa est id in quo cogito, res cognoscimus, seu, aliis verbis, est terminus objectivus, qui natura sua est similitudo objecti per mentem gentia.

III. De processu explicativo cognitionis humane, seu de ordine in cognoscendo.

266. — Perspecta hæcenus generi idearum, seu ratione qua intellectus ad primordiales conceptus devenit, nunc agendum est tum de ordine quo mens in hac adptione progreditur, tum de modo quo cognoscit immaterialia *secundum rem*.

Ex antea dictis (II, 253, 256) jam liquet processum cognitionis generatim inspecte auspiciari a perceptione sensili. Hinc de processu explicativo cognitionis intellectualis demum dicemus.

(H) S. Thom., I, 9. 85. a. 2.

267. — THESIS I. In ordine directo et spontaneo cognitionis intellectus, mens exorditur a conceptibus universalioribus seu maxime indeterminatis.

*Nota I.* Huic doctrinæ communiore reluctanter nonnulli scotistæ, qui docent cognitionem humanam exordium ducere a specie specialissima; verum cum id intelligant de cognitione confusa, diversitas est potius in modo loquendi quam in re ipsa.

*Nota II.* Non agitur de ordine reflexo in universalium cognitione: in hoc enim ordine, qui per analysim scientificam et per abstractionem formalem (II, 254) procedit, non nisi ultimo ad universalissimam elementa devenimus (53).

*Prob. 1<sup>o</sup> experientia.* Experientia liquet primos mentis conceptus esse conceptus indeterminatos sub generalissima ratione rei seu entis objecta referentes; pueri enim ac rudes entia diversa appellatione rei indiscriminatim designant. Distinctam notionem rerum acquirunt atque vocibus exprimunt, cum magis ac magis perficiuntur in cognoscendo. Hinc est, ut ait Aristoteles, « quod principio pueri viros omnes appellant patres; postea unumquemque determinant. »

*Prob. 2<sup>o</sup> ratione.* Naturalis conditio intellectus nostri in eo consistit ut de potentia ad actum transeat in cognoscendo; principio enim cognitione omni oritur et deinde a maxime confusa et imperfecta ad distinctiorem et perfectiorem pedetentim devenit.

Atqui de potentia ad actum transire nequit quominus exordium ducat a conceptibus magis indeterminatis seu universalioribus; cognitio enim, quæ est magis confusa, eò minus distinguit (24), ac proinde de pluribus est prædicabilis: ampliatur ejus extensio; itaque cum principio sit maxime confusa, est etiam maxime universalis. Ergo cognitio intellectualis, eo ipso quod principio est maxime confusa et indistincta, est etiam universalior.

268. — THESIS II. Secundario et per reflexionem super actus sensibilitatis, singularia intellectualiter cognoscimus.

*Nota I.* Jam antea probavimus intellectum singularia percipere (II, 192); itaque nunc probare debemus hanc cognitionem esse secundariam, seu venire post cognitionem quidditatis, imo fieri per regressum super phantasmata, quæ primam cognitionem suo modo determinarunt.

*Nota II.* Quoad modum quo cognoscimus singularia, contro-

versia existit inter scholasticos: 1<sup>o</sup> juxta sanctum Thomam, intellectus singularia directè non cognoscit: hic enim modus ea cognoscendi proprius est sensuum, dum intellectus directè per se non nisi universalia percipit: hinc indirectè tantum et per conversionem ad representationes sensibiles hæc facultas attingit singularia. 2<sup>o</sup> Suarez cum pluribus aliis censet intellectum nostrum singularia propriè et directè cognoscere ac per proprias eorum species, non autem per conversionem ad phantasmata (1). Utraque sententia suam hæbet probabilitatem: fundamentum præsertim desumit a modo concipiendi principium individuationis (307). Priorem sententiam sequimur.

*Prob. 1<sup>a</sup> pars.* Scilicet quod intellectus secundario percipit singularia. Constat ex supra dictis (II, 192, 267), et alias simul demonstratur cum secunda, itaque:

*Prob. II<sup>a</sup> pars.* Hæc perceptio fit per reflexionem super actus sensibilitatis. Intellectus de singularibus materiis sibi rationem reddit per externos characteres, qui sensibus attinguntur, seu per qualitates illas sensibiles, quæ objectum proprium sensuum constituunt. Atqui si intellectus singularia directè et per proprias eorum species cognosceret, hæc individua non distingueret ac definiret per externos characteres, qui singularitatem ipsam seu individuationem non constituunt, nec intrinsecus determinant. Ergo hæc singularia non cognoscit nisi indirectè atque secundario per conversionem ad phantasmata, quæ intellectum ad quidditatem percipiendam determinaverunt (II, 253, 266).

Hæc conversio intellectus ad representationes sensibiles facillimè intelligitur; per phantasma enim animus, jam conversus ad objecti considerationem, ad ipsum singulare advertendum sponte inclinatur.

269. — *Schol.* Verùm altera sententia graviter etiam innuitur rationibus. Enimverò, licet intima individualitatis constituta determinate a nobis non cognoscantur, tamen certum est animam a corpore separatam, singulari cognitionem servare; porò animus separatus phantasmata non habet. Ergo cognitio hæc non fit per reflexionem in actum sensibilitatis.

Præterea ens materiale directè cognoscimus quoad quidditatem. Ergo nihil vetat quominus ens materiale, ut individuum est, eodem modo cognoscamus.

(1) De Anim. L. IV, c. 3, præsertim n. 7.



*De cognitione immaterialium.*

270. — THESIS III. *Anima nostra seipsam cognoscit, non per suam essentiam, sed per suos actus.*

*Prob.* Si anima, non per actus suos, sed per suam essentiam, se cognosceret, jam semper actu se intelligeret et absque errore; semper enim sibi adest; atqui id manifeste falsum est, ut quisque sibi conscius est. Ergo animam ex effectibus seu ex ejus operationibus cognoscimus: cognoscimus nos intelligere, sentire, velle, etc.

271. — *Sch.* Anima cognosci potest 1<sup>o</sup> quoad existentiam, 2<sup>o</sup> quoad essentiam. Ad primam agnitionem sufficit presentia animi actum elicientis. Quoad secundam, requiritur diligens et subtilis inquisitio et discursus. Quo pacto intellectus noster Deum cognoscat, in Theologia naturali quaerimus.

272. — THESIS IV. *Omnes rationes immateriales rerum a sensibus vel proximè vel remotè originem, in ordine cognitionis nostrae naturalis, ducunt.*

*Prob.* I. Iste rationes vel mediatè vel immediatè apprehenduntur; porro si immediatè esset hæc apprehensio, non fieret nisi dependenter a sensibus (II, 256); si mediata, ope comparationis, seu componendo et dividendo elementa immediatè abstracta, obtineri debet. Ergo hæc cognitio semper repeti potest sive proximè sive remotè ex perceptionibus sensibilibus.

II. Primæ et directæ abstractiones intellectus, quæ originem ducunt a sensibus, dant universaliores seu transcendentes conceptus, nimirum ideas entis, rei alieujus, unius, etc. (II, 267); atqui omnes ideas nihil aliud sunt quam diversæ applicationes ac determinationes horum conceptuum. Ergo nihil vetat quominus omnes immateriales rerum rationes originem ducant a sensibus.

III. Quoad conceptus determinatos ordinis suprasensibilis et moralis, eodem modo explicatur eorum origo. Conceptus universales, quos modo superius determinato obtinemus, diverse componi possunt sive inter se sive cum aliis, idæque notiones pulchritudinis, relationis, ordinis, etc., suppeditare. Possunt etiam eædem notiones universales ordini reali et physico intellectualiter cognito

(II, 268) varie applicari, et sic ideas substantiæ et accidentis, temporis et spatii, etc., præbere. Denique ad ideas ordinis moralis assurgere possumus, quæ sunt tantummodo diversæ applicationes idæe ordinis.

Hinc systema scholasticorum ex æquo rationem sufficientem dat omnium conceptuum ordinis suprasensibilis et moralis.

*De judicio.*

273. 1<sup>o</sup> *Mens a simpliciori apprehensione ad judicium efformanda pergit*: judicium enim est quidam actus quo mens duos conceptus in unum quoddam componit (37). Simplex apprehensio « est indivisibilium intelligentia », ut dicit sanctus Thomas; per eam enim apprehendimus essentiam uniuscujusque rei in seipsa. Alia operatio est judicium quod componit et dividit apprehensiones simplices: judicia enim, ut diximus, sunt vel analytica, vel synthetica (50), siquidem mens in judicando procedit per analysim et synthesisim (274).

2<sup>o</sup> Cum mens *primè* a simpliciori apprehensione ad judicium pergit, *format prima principia seu axiomata*. Primum principium ita immediatè efformatum est principium contradictionis: *Aliquid non potest simul esse et non esse*, quod exquiri simpliciter conceptum entis.

Cum doctores scholastici declarant innatum esse primum principiorum habitum, id intelligi debet solummodo de naturali inclinatione ad hæc principia cognoscenda; idè quia hæc principia sunt *per se nota*, eorum cognitio nobis naturaliter inest. Sufficit enim ut mens in actum cognoscendi perfectum erumpat, ut ad eorum cognitionem deveniat. « Ipsorum principiorum cognitio in nobis a sensibilibus causatur, » sicut sæpenumerò sanctus Thomas discrete affirmat.

Ergo cum ex una parte hæc principia esse innata, et ex altera eorum cognitionem accipi per abstractionem intellectus agentis affirmet S. Doctor, minime ambiguum est quin hic habitus innatus principiorum, in mente angelici Doctoris, ut naturalis inclinatio ad hæc principia citò cognoscenda habeatur.

274. — THESIS. *Simplex apprehensio semper præcedit iudicium.*

*Nota.* Hæc thesis contra reidum ejusque scholam, Rosminium et alios introducit.

*Prob.* Quodlibet iudicium duo ex postulat elementa cognita, nimirum id quod affirmatur de subjecto et ipsum subjectum; atqui hæc duo elementa sunt conceptus, qui proinde simplici apprehensione efformantur. Ergo impossibile est ut simplex apprehensio non præcedat iudicium.

Qui hujus argumenti vim inficiaretur, aut negaret iudicium duabus ideis in unum quoddam compositis coalescere, quod a nemine sano sustineri potest, aut infatias iret ideas oriri a simplici apprehensione. Porrò hujus asserti falsitas ex hactenus dictis abunde liquet.

§ III. De falsis circa originem idearum systematibus.

275. — Ex innumeris systematibus de origine idearum, ea que sunt jam obsoleta aut parvi momenti missa facimus. Sensismus enim sive antiquorum sive recentiorum (Gassendi, Hobbesii, Condillæ, Lockii et recentis Laromiguière) est quædam forma materialismi; juxta sensistas, sensus essent reapse *causæ totales* nostrarum idearum itaque identitas intellectus cum sensu est fundamentum totius systematis. Igitur quisque ex supra dictis potest sensum confutare, et varias ejus formas ad eadem prava principia revocare (1). De tribus solum systematibus, que nostra ætate peculiarem sibi vindicant attentionem, disputabimus, nempe 1º de rationalismo transcendentali, id est de systemate Kantii, 2º de traditionalismo, denique 2º de ontologismo.

(1) Juxta Lockium, *sensatio* et *reflexio* sunt causæ totalis nostrarum idearum: per *sensationem* percipiuntur objecta *externa*, per *reflexionem* vero objecta *sensibilitatis internæ*. Ergo subvertitur spiritualitas anime. — Condillæ docet actionem cognoscitivam nihil aliud esse quam *sensationis explicitonem* (*sensationem transformatam*): sex forme diverse

I. De idealismo transcendentali.

276. — Emmanuel Kant, ineunte præsentis sæculo suum systema circa cognitionum nostrarum fundamenta evulgavit.

Juxta hunc auctorem, cujus systema paucis exponemus:

I. Omnis cognitio duobus confatur elementis, nimirum *elemento à priori*, seu intrinseco, quod ex solo subjecto cogitante exsurgit, et *elemento à posteriori*, seu extrinseco, quod ex objectis que foris sunt, advenit: primum est *forma*, secundum, *materia* cognitionis. Id omne quod in cognitionibus nostris est necessarium et universale, præstat forma seu elementum subjectivum: quicquid est accidentale, mutabile, contingens suppetitat materia seu elementum objectivum.

II. At in nobis tres reperiuntur facultates: *sensibilitas*, *intellectus*, *ratio*, quarum operationes prædictis duobus constant elementis. 1º *Vis sentiendi* *representationes* exhibet, que in ordine ad subjectum spectatæ dicuntur *visiones* seu *intuitiones empiricæ*; in ordine ad objectum inspectæ dicuntur *apparentiæ* seu *phenomena*. In hisce intuitionibus, materia est impressio que ab objecto provenit; forma, seu elementum morè subjectivum, est spatium purum, quoad representationes *sensibilitatis externæ*, et *tempus purum* et indefinitum, quoad *sensibilitatem internam*.

2º *Conceptus*, quos format intellectus, etiam constant materia et forma: materiam constituunt intuitiones empiricæ, forma sunt quidam conceptus puri planeque subjectivi, seu *categoriae kantianæ* (45); que intuitionibus empiricis, ob judicii, ab intellectu imponuntur. Judicando enim materie aliquam tribuimus formam.

*sensationis* sunt ipse, seu facultates anime, scilicet: attentio, comparatio, iudicium, reflexio, imaginatio, ratiocinium. Hanc doctrinam temperare aggressus est de Laromiguière, qui sex facultates Condillæchii ad tres reduxit, seu ad attentionem, iudicium et ratiocinium; sed sensusmum tenuit, seu doctrinam que in sensibus agnoscit causam totalem nostrarum idearum.

Analysi omnium iudiciorum instituta, quatuor emergunt eorundem formæ generaliores, ab ipsa animi constitutione profuldescentes: 1<sup>o</sup> quantitas, 2<sup>o</sup> qualitas, 3<sup>o</sup> relatio, 4<sup>o</sup> modalitas, quarum quasque in tres iterum dispeccitur. Hinc ex his diversis iudicandi formis, duodecim exsurgunt categoriæ seu formæ a priori, aut ideæ puræ ac primitive intellectûs.

Denique 3<sup>o</sup> ratio, seu facultas ratiocinandi, ad unitatem absolutam omnes has notiones redigere debet, seu supremam omnium notionum synthesisim efficere. Ad hoc pervenit vi trium idearum supremarum et absolutarum, quæ ex elementis mere subjectivis educuntur. Hæ tres formæ rationis puræ sunt ideæ *absoluti subjecti cogitantis* (ὁὐκ ἔνδ), seu *psychologica*, ideæ *mundi seu cosmologica*, et ideæ *Dei seu theologica*. Prima exhibet unitatem absolutam conditionum internarum; secunda, unitatem absolutam conditionum externarum; tertia, unitatem absolutam conditionum omnium rerum quæ cogitatione attinguntur.

Istæ ideæ nihil exhibent quod sit objectivum.

277. — Ex hoc systemate logico resultat objecta etiam materialia, prout in se sunt, seu *noumena*, sicuti a Kantio vocantur, esse penitus incognita; eorum *phenomena* solum intuemur, seu representationes quas, ope formarum subjectivarum, effingimus. Id ceteroquin expresse proficitur ac tuctur philosophus ille Germanus.

Kantii assæclæ Fichte, Schelling, etc., formis omnibus eliminatis, Magistri systemata ad apertum pantheismum redeperunt, cuius semina continebat. Juxta primum, unicum est noumenon, seu unica realitas, *ego purum*; alia omnia ipsunque *ego* empiricum sunt phænomena seu apparentia. In alterius sententia, *absolutum* dumtaxat reale est, cætera autem sunt phænomena (II, 13-15).

278. — *Systematis consultiatio*. THESIS. *Systema Kantii, ad explicandam originem idearum impar est, et in se plane absurdum.*

*Nota*. Non expedit ut quæcumque in hoc systemate absurda sunt, singillatim persequamur: sufficit ut præcipuas systematis patefaciamus ineptias.

*Prob.* Systema perfectius illud est quod 1<sup>o</sup> factorum

rationem nullo negotio reddi, necnon 2<sup>o</sup> parcius est in elementis a priori congerendis, 3<sup>o</sup> nullam evertit veritatem certam. Atqui 1<sup>o</sup> *systema Kantii cognitionem non explicat, sed eam inexplicabilem reddit*; quo enim pacto, qua selectione, iste formæ universales et necessaria talibus intuitionibus empiricis potius quam aliis tribuantur? Id non explicat Kantius. Cum ex altera parte, elementum formale cuiuslibet cognitionis in una aut altera categoria semper consistat, impossibilis prorsus evadit explicatio diversitatis conceptuum specialium. Ergo.

2<sup>o</sup> *Hoc systema sine ulla necessitate, et præter modum, elementa a priori seu libito conjecta, frequentat*, ut ex dictis liquet. Nullum aliud systema tot et tanta congerit commenta: omni enim ex parte est extractio ex libidine ac temere jacta, nempe fundamenta destituta. Porro systema scholasticum quod de plano facta explicat, nonnisi unicum sibi vindicat elementum a priori, cuius existentia alias cum factis apprimè congruit. Ergo.

3<sup>o</sup> *Kantiana theoria in negationem desinit omnium ferè veritatum*. Certitudinem cognitionis humane funditis convellit; etenim inter nostras cognitiones et noumena seu realitates externas, nullus datur nexus, imò ipsum subjectum cogitans inter meras apparentias recenset. Mundus et Deus nihil aliud sunt quam elementa mere subjectiva, seu ideæ puræ, quæ ex quadam lege rationis proveniunt; igitur extra rationem humanam mundus et Deus nihil sunt, etc. Ergo illud systema, quod monstruosam omnium errorum synthesisim exhibet, omnes ferè veritates funditis evertit. Sub ipso speciatim latent idealismus, scepticismus, pantheismus et rationalismus.

## II. De traditionalismo.

279. — Ad rationalismum funditis extirpandum qui omne verum ex individuali ratione repetit, ortus est traditionalismus, qui in extremum oppositum labitur.

Juxta Rationalistas, omnes notiones ordinis sive naturalis sive supernaturalis ratio individualis, sine auxilio rationis alterius, sibi eudere potest. In contraria ultra modum abeunt, Traditionalistæ docent rationem sine externo magisterio, quod ei traderet ideæ universales ac

notiones abstractas, ad nullam prorsus posse veritatem assurgere, aut saltem, juxta mitiores, ad nullam notionem ordinis moralis ac metaphysici.

*Expositio systematis.*

280. — Traditionalismus generatim inspectus in eo consistit ut idearum originem ex loquela unice repetat: sermo ideas rationi humanæ presentes ac perceptibiles facit: hæc ratio est merè passiva seu receptiva cognitionum verbo indissolubiliter conjunctarum. Hinc *singuli* homines a traditione, seu ratione sociali, sibi comparant ideas, dum ipsa *humanitas* suas cognitiones a positiva Dei revelatione duntaxat exceperit. Hinc veritates omnes per divinam revelationem rationi humanæ primitus communicari debuerunt, quæ deinceps per traditionem transmittantur. Verum systema illud triplicem potissimum induit formam:

1<sup>o</sup> De Bonald, ipsius systematis auctor, contendit *omnes prorsus ideas acquisitas* ex loquela pendere; et exinde hominem nonnisi per traditionem fieri posse particeps cujuslibet cognitionis intellectualis (1).

2<sup>o</sup> Duram hanc sententiam emollire conatus est D. Bonnetty (2), qui traditionis necessitatem ad solas veritates *ordinis suprasensibilis ac moralis* coarctavit: ejusmodi veritates, juxta ipsum, nonnisi per revelationem divinam et fidem excipi possent. At hujus doctrinæ occasione, S. Congregatio Indicis quatuor sancivit propositiones quarum secundam et tertiam hic referre expedit:

« II<sup>a</sup> *prop.* Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. *Fides posterior est revelatione*, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animæ rationalis spiritualitatem et libertatem contra naturalismi et fatalismi sectatores, *allegari convenienter nequit.*

« III<sup>a</sup> *prop.* Rationis *usus* fidem præcedit, et ad eam ope revelationis et gratiæ conduct. »

(1) *Recherches philosophiques sur les premiers objets des connaissances morales*, C. I et II.

(2) *Annales de philosophie chrétienne*, IV<sup>e</sup> série, t. VII, et t. VIII.

Denique 3<sup>o</sup> P. Ventura (1) sententiam aliis omnibus mitiorem confavit: intellectui vim esse sibi cudendi ideas primitivas entis in genere ejusque proprietatum, ideam generis et speciei, ratus est, etc. Distinguebat enim inter ideas et cognitiones, seu inter conceptus vagos abstractosque et conceptus determinatos ac judicia, quæ propria, juxta ipsum, cognitionem constituent. Hoc secundum genus conceptuum nonnisi per revelationem humanitati innotescere potuit.

Verumtamen hic auctor non sibi consentit, et aliquando videretur homini denegare omnem ideam, sine auxilio revelationis.

Itaque notio Dei, immortalitas animæ, distincta cognitio officiorum moralium per revelationem et traditionem duntaxat nobis communicari possent. Declarationem S. Congregationis declinat per distinctionem inter revelationem naturalem et supernaturalem. « S. Congregatio, inquit, de sola revelatione supernaturali loquitur, dum Traditionalistæ revelationis naturalis tantum necessitatem propugnant. »

281. — Alii etiam alias traditionalismi formas proponunt, quæ tamen a precedentibus, præsertim a secunda et tertia, non valde abluunt. Propugnant enim absolutam revelationis necessitatem ut homo usum rationis habeat, sive quoad omnes veritates, sive ad quoddam solummodo genus veritatum. Hæc traditio, juxta nonnullos, esset causa efficiens per quam homo ad usum rationis perveniret; juxta alios, esset mera conditio.

Tandem non desunt qui necessitatem loquelæ requirunt duntaxat ad primum rationis usum; cæterum fatentur hominem hoc usu semel ornatum non egero magisterio externo ad veritates ordinis naturalis assequendas.

Sed non est cur ad omnes has formas traditionalismi enumerandas deveniamus: sola enim libidine ducti, traditionales diversè suum systema evolvunt. Tamen est quædam sententia quæ a nobis prætermitti nequit: « Sunt, ut ait P. Tongiorgi, qui traditionalismum cum ontolo-

(3) *La raison philosophique et la raison catholique. conf. II. De la tradition, etc.* Ch. I, § 6.

gismo consociant, quatenus illam confusam cognitionem, quæ traditionem præcedit, ex intuitu entis infiniti comparari asserrunt. » Hanc formam simul cum ontologismo confutabimus.

282. — *Fundamenta systematis.* « Facta innumera, « certa, inexpugnabilia, quibus nihil certi opponi potest, « commonstrant hominem, nemine docente, nunquam ad « certam veritatis notitiam, ad plenum rationis usum « pervenisse...; undè planè sequitur sermonem esse con- « ditionem sine qua hominis ratio non formetur, atque « adèdè necesse est ut ratio et oratio sive cognitio et sermo « primo simul divinitus homini concessa sint (1). » Facta autem hæc sunt :

1<sup>o</sup> Quidam pueri, aiunt Traditionales, qui extra hominum societatem adoleverunt, inventi sunt omni idea intellectuali ac morali orbat; 2<sup>o</sup> idem omninò accideret in surdo-mutis, qui antequam instruantur, in eodem statu reperirentur; 3<sup>o</sup> experientia omnium etiam testaretur hominem sine sermone vel signo cogitare non posse : hinc tritum effatum Traditionalium : *Homo sua verba cogitare debet antequam suas cogitationes verbis eloquatur.*

283. — I. *Confutatio indirecta.* *Execruntur fundamenta* : Defectu analysis sufficientis factorum et quadam confusione nititur totum systema. Etenim :

I. Quoad hæc facta particularia de pueris qui extra hominum societatem adoleverunt, præterquam quod multa facta quæ jactantur, sunt fabulosa, verum et inconcussum est neminem potuisse internum horum puerorum statum satis explorare, ut exinde exsurgat *certa negatio cujuslibet ideae in ipsis*. Profectò sensationes habuerunt; jam verò quæ sat acutè potuit intima anima recondita ita perlustrare ut certò viderit nullum intellectus motum *sensationes* subsequutum esse? Futilis ergo est hæc ratio, quæ ad summum demonstraret homines a societate relegatos ideas perfectas et distinctas non habere.

II. Argumentum quod ex surto-mutorum testimonio depromitur, vix caret; nam 1<sup>o</sup> hæc in re testimonium viro-rum surdo-mutis in educandis peritorum non est uni-

[1] Ubaghs., *Antrop. phil. elementa*, n. 197.

forme, plures enim negant sententiam Traditionalistarum.

Præterea 2<sup>o</sup> circa presentem questionem testificari nequeunt muti, propter naturam ipsius testificationis : testimonium enim versatur circa existentiam idearum in quantum distinguuntur a sensationibus, quas aut usum sermonis sine dubio experti sunt muti; atqui surdo-muti subtile hæc distinctionem, inter sensationes et ideas certò non omnes intelligunt siquidem nonnulli qui rebus philosophicis operam dant, hæc non agnoscunt distinctionem. Ergo talis est indoles quæstionis ut in hæc re surdo-muti testificari aut plerumque aut universim nequeant.

Quoad ideas morales et religiosas, quibus forsanc carebant surdo-muti, id referri potest ad nativum idiotismum. Cæteròquin argumentum superius allatum hùc etiam spectat : nam ad testificationem eliciendam, non sufficit qualiscumque cognitio, nempe obscura, confusa, inchoata, sed requiritur distincta, reflexa et evoluta; hæc tantùm vestigia relinquere potest in memoria. Itaque argumentum quod ex surdo-mutis depromitur, est præceptis, ac defectum sufficientis analysis redolet.

III. Denique experientia nihil prorsus docet in favorem traditionalium. Quòd enim de facto *cogitatio sine verbis haberi nequeat*, sicuti magno verborum strepitu asserunt Traditionaliste, id vix confutationem meretur; hæc enim assertio nonnisi ex aliqua mentis anteoceptione proficiscitur. Neminem verò latet ideis sæpe numero non detineri, quarum vocabula propria seu signum multis vocibus propositis, perdiu infructuose inquirimus. Ergo ex ipsa experientia liquet hominem absolutè cogitare posse antequam vocabula addiscat.

284. — II. *Directa systematis confutatio.* THESIS I. *Idearum universalium adeptio è sermone absolutè et physicè non pendet.*

*Prob.* Loquela constat signis arbitrariis (26), quæ pacto quodam propriis significatis adscribuntur; atqui signum artificiale non potest ideam rei significatæ evocare nisi in eo qui significatum jam cognovit : esset tantùm sonus vacuus, qui meram sensationem solùm gignere valeret.

Ergo verbum semper subaudit sui significati, id est idere, cognitionem.

*Major* in dubium revocari nequit: vocabula enim in diversis linguis sunt omnino diversa, atque nullam ideam excitant in iis qui particulare idioma ad quod hæc pertinent, non capiunt; ideoque sunt signa arbitraria, quæ nempe cum conceptibus nullam naturalem relationem habent.

*Minor* etiam est inconcussa. Signum quodcumque suapte natura ordinem involvit ad rem significatam, quam necessario subaudit: dempta hac relatione, qua formaliter constituitur signum, remaneret duntaxat in casu presenti sonus aut clamor. Itaque pro iis qui ideam hoc signo expressam prius non habent, verbum non esset signum; sed sonus aut clamor. Ergo loquela ideas non gignit nisi in iis qui jam aliquo modo cognoscunt relationes talium vocabulorum ad determinatas ideas.

Manifestum ergo apparet non ideas per signa, sed signa per ideas intelligi posse.

285. — *Coroll.* Loquela igitur haberi nequit sive tanquam causa efficiens, sive ut conditio necessaria ad primam mentis evolutionem.

286. — *Schol.* Tamen loquela, etsi ad cogitandum non sit absolute necessaria, est quam maxime utilis ad intelligentiæ evolutionem perfectionemque. Summa hæc loquela utilitas ex eo resultat quòd 1<sup>o</sup> vocabula inter signa principatum tenent, atque sunt ad cogitationes manifestandas expeditissima; 2<sup>o</sup> loco phantasmatum utilissimè adhiberi possunt, quia facilius et celerius res exhibent; 3<sup>o</sup> memorie utiliter deserviunt, quia multa paucis signis referre possunt, etc.

287. — *THESIS II. Homo aliquam veritatem cognoscere potest viribus propriis, nempe sine auxilio divinæ revelationis, quam traditio transmitteret.*

*Nota.* Thesis absolute stabilitur: itaque præcindimus a revelationis distinctione in naturalem et supernaturalem. Quidam enim revelationis *naturalis* necessitatem tuentur. Alii verò revelationem *supernaturalem* exquirunt, quæ

tamen, eo ipso quòd menti humanae infunderetur, cognitionem gigneret naturalem.

*Prob. I.* Si nulla veritas ab humana mente cognosci posset nisi per divinam revelationem traditione transmissam, tunc 1<sup>o</sup> omnis veritas nobis a societate tantum asseveraretur, 2<sup>o</sup> error a societate transmissus non posset redargui. Atqui *primum* in illud pessimum systema, quod Lamennais invehit, necessario inducit. Enimverò si unicus esset fons omnium veritatum, constans revelatione et traditione, motivum assentiendi non posset esse aliud quam societatis auctoritas. De cætero ipse de Lamennais ex hoc asserto suas conclusiones duxit (1).

*Alterà conclusio*, non minus periculosa, spontè etiam dimanat ex pronuntiatis hujus systematis. Error enim vel a revelatione divina ortum duceret, quæ tunc non esset infallibilis, vel ab ipsà traditione, quæ proinde in suo munere transferendi aliquando deficeret. Porro in qualibet hypothesis, ratio individualis necessitate physica ad errorem compelleretur, ideoque seecernere non posset verum a falso. Ergo homo propriis viribus aliquod verum cognoscere valet.

*Prob. II.* Ut discens accipiat aliquam veritatem novam, debet verba docentis intelligere: atqui verba intelligi nequeunt nisi antea in mente sint, *scilicet* in confuso, ideo quæ per hæc vocabula significantur. Ergo 1<sup>o</sup> impossibilis est revelatio sermone expressa nisi discens quasdam ideas antea habeat; 2<sup>o</sup> impossibilis est communicatio revelationum veritatum seu *traditio*, iis qui sensum verborum nullo pacto intelligerent. Quibus de causis omnis veritas ex divina revelatione externa et sociali traditione unice repeti nequit.

288. — *Coroll.* Ex dictis planè consequitur traditionalismum quamdam importare confusionem inter ordinem naturalem et supernaturalem; veritates enim cujuslibet ordinis, in hoc systemate, nullatenus differunt ratione modi quo nobis manifestantur, imò ratio humana eadem plano detineretur impossibilitate respectu cujusque veritatis sive naturalis sive supernaturalis.

(1) *Essai sur l'indiff.*, ch. xv.

289. — THESIS. III. *Sermo ipse, licet de facto primo homini a Deo datus fuerit, potuisset tamen absolute loquendo ab homine inveniri.*

*Nota 1<sup>o</sup>.* Traditionalistae sive incauti sive de industria hoc factum cum possibilitate confundunt. Ad factum enim quod attinet, nemo eorum qui fidei principii sunt imbuti, inficiatur sermonem primo homini *hoc vel alio modo* datum fuisse: non autem sola inquisitione aut industria protoparentum, sine ullo speciali Dei auxilio, adeptus est. Rationalistae soli affirmare ausi sunt homines successivè, per multos gradus ac serò, usum sermonis consecutos fuisse. Disputatio igitur inter Traditionalistas et veteris philosophiae catholicae amatores circa *possibilitatem* unice versatur.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Non desunt, inter Patres Ecclesiae, qui docent Adamum, ex innata vi loquendi et recepta a Deo intelligentia, sensum talibus syllabis tribuisse: ita sanctus Gregorius Nyssenus, sanctus Basilius. Sed hic de peculiari modo quo Deus intrinsecus primo homini loquelam elargitus est, non agemus.

*Prob. 1<sup>o</sup>.* Nulla deprehendi potest *intrinsicè* impossibilitas in eo quod homo sermonem inveniat: id enim dicitur intrinsicè impossibile quod implicat contradictionem; atqui absolute non repugnat ut homo, innata vi loquendi praeditus, rem sensibus occurrentem nutu aliquo et quibusdam syllabis distincte commonstret aliis. Habet enim homo in hisce adjunctis quiddam requiritur ad vocabula proprio Marte eudenda: fruitur innata facultate loquendi, et illi obijciuntur res sermone effabiles; deinde est in contactu cum aliis hominibus, ex quorum praesentia allicitur ad suam vim loquendi evolvendam. Ergo nulla deprehendi potest intrinsicè impossibilitas in eo quod homo propria industria sermonem inveniat.

2<sup>o</sup> Idipsum etiam videtur *extrinsecus* possibile, nimirum ex parte adjunctorum: nam 1<sup>o</sup> cognitionibus intellectualibus ornari potest homo usu sermonis nondum fruens (II, 283, 284): haec igitur Traditionalistarum formula: *ad usum intelligentiae sermo necessarius est, et sermo sine intelligentiae usu efformari nequit*, inepta est quoad pri-

nam partem. Praeterea 2<sup>o</sup> non desunt objecta sermone effabilia, quae intellectualiter apprehendi possunt. Denique 3<sup>o</sup> vis loquendi sufficienter excitatur ad suam evolutionem per commercium quod inter homines intercedit: ex amicitiae, dilectionis, etc., sensu, aliquando vehementer allicitur homo ad suas cogitationes aliis communicandas. Ergo haec omnia impedimenta quae a Traditionalistis enumerantur, nonnisi ex anticipato systemate et rationibus a priori ortum ducent; quamobrem homo sibi relictus sermonem eudere potuisset.

Ex positiva igitur et abundante Dei benignitate, non autem propter aliquam insuperabilem naturae indigentiam, primus homo usum sermonis recepit.

### III. De ontologismo.

290. — Ontologismus, auctore Nicolao Malebranche, qui in divina essentia intellectum nostrum omnia immediate intueri arbitratus est, idearum originem ab *immediate* Dei intuitione repetit. Nomen a Vincentio Giobertio excogitatum fuit, ad rationem philosophandi inducendam quae ab objecto seu ab *intelligibili absoluto* ordiretur. Systema scholasticum, per oppositionem, nomine *psychologismi* designavit, ideo quia, juxta ipsum, a subjecto tanquam a principio inchoaret.

4<sup>o</sup> Omnes ontologi in hoc conveniunt quod in *immediata Dei intuitionem* consisteret cognitio intellectualis: unde tota eorum doctrina ad duo capita revocari potest: 1<sup>o</sup> Deum immediate intuemur; 2<sup>o</sup> hic intuitus est fons omnium intellectualium cognitionum. In his assensibus concordant omnes ontologi. Sed dum agitur de modo quo ita Deus apprehenditur, atque ut fons et origo idearum habeatur, in varias abeunt sententias. Tot ferè sunt sententiae quot sunt ontologi. Quam ob causam lubrica prorsus in disputando evadit haec sententia, eo quod ontologi non modo inter se dissentiant, sed idem ontologus, propter ambiguitatem terminorum et aequivocationes quibus se obvolvitur, semper ad diversa et aliquando plane opposita se ferre potest.

2<sup>o</sup> Praecipuas formas hujus systematis solummodo recensemus: generatim dividi solet ontologismus in ontologismum severè acceptum, et in semi-ontologismum. *Ontologismus rigidior* Deum in se a nobis directe et immediate percipi docet; archetypas igitur ideas in seipsis intuemur. Tale est dogma

principes totius systematis. *Semi-ontologismus*, rejecta hac archetyparum idearum perceptione, originem idearum repetit ex immediata intuitione Dei in nobis sub ratione ideæ *absoluti* considerati. Quapropter semi-ontologismus est quadam forma systematis de *ideis innatis*.

201. — *De ontologismo rigidiore*. 1<sup>o</sup> Juxta Nicolai Malebranche, perceptiones puræ, seu cognitio intellectualis, est cognitio per ipsum lumen divinum. In hoc lumine Deum ipsum primò percipimus, non in aliqua imagine aut in aliquo effectu ad extra, sed immediate ac directe, quatenus ut supremum intelligibile menti affulget. Alias res, quibus universum hoc coalescit, agnoscimus in archetypis ideis, quas Deus nobis aperit.

2<sup>o</sup> Gioberti, sub forma quæ verbis tantùm a superiore differt, ontologismum proposuit :

*Intuitio idealis* est principium cognitionis intellectualis : hæc intuitio dicitur idealis, quia ejus objectum est Deus seu ens absolutum sub nomine *idea* designatum. Ens absolutum est *primum philosophicum*, id est, prima idea simul et res prima : ex ipso consequenter procedunt res omnes et ideæ, seu ordo ontologicus et ordo psychologicus. Hinc prima res (*primum ontologicum*), et prima idea (*primum psychologicum*) identice sunt.

Objectum intuitus idealis est Deus, non in sua abstracta realitate, sed ut ens *reale et concretum*, nempe ut *in seipso* est. Sed intuitus ille, non modò Deum ipsum attingit, verum etiam in ipso Deo omnes existentias. Deus enim creat existentias, eisque per hunc actum creandi tribuit quiddam realitatis habent; quamobrem ad cognoscendas existentias contingentes sufficit ut mens nostra in Deo *actum creatricem*, ejus existentie sunt termini, contineatur. Hinc formula idealis : *Deus creat existentias*, quæ est fundamentum omnium cognitionum.

Ideæ quæ ad ens ipsum pertinent sunt *absolutæ*; ideæ quæ ad existentias spectant sunt *relative*.

Gioberti duplicem tamen agnoscit perceptionem : *directam* scilicet et *reflexam*. Prima est hic intuitus, de quo hactenus locuti sumus. Reflexa perceptio est quidam regressus in perceptionem directam et in objectum apprehensum. Hæc reflexio est voluntaria, dum intuitus est spontaneus et necessarius.

Reflexio, quæ intuitum divarsis modis determinat, est necessaria ad cognitionem intuitivarum explanationem, atque suum peragit munus convertendo intelligibile aliqua forma sensibili. Igitur hæc visio reflexa necessarò exposulat vocabula. Ergo ad reflexam seu distinctam et explicatam cognitionem, sermo est absolutè necessarius. Sermo habetur veluti fons quo mens nostra a cognitione directa ad reflexam transit. Hæc in re cum Traditionalistis consentit Gioberti.

Theorias alias particulares referre non vacat, quas continet illud systema.

202. — *De semi-ontologismo*. Semi-ontologismus principio confundit ideam cum objectis; exorditur enim a *veritatibus generalibus*, quæ idearum nomine indistincte ab ontologis donantur. Istæ veritates, aut ideæ in sententia semi-ontologorum animo sunt semper presentes et lumen rationis constituunt. Porro ut illud lumen rationis, animæ semper præsens, quod est *ipse Deus*, illam collustret, in nostro intellectu residere debet sub forma ideæ unius innatæ, cujus omnes ideæ sunt peculiaries formæ : hæc idea aut illud lumen divinum est *idea entis realis* ab ipsa Dei essentia intellectum nostrum collustrante non diversa (1).

Verum ad perceptiones veritatum metaphysicarum et conceptiones quaslibet efformandas, præter ideam innatam, multi ontologi necessitatem sermonis propugnant (2).

— Semi-ontologismo valde affine est systema Rosmini statuentis unicam esse in mente humana ideam innatam, nempe ideam *entis possibilis et communissimi*, cujus omnes aliæ ideæ sunt variæ determinationes ope sensationum peractæ. Cognitio itaque duplici constat elemento : 1<sup>o</sup> elemento *a priori et formali*, quod est idea entis, 2<sup>o</sup> elemento *a posteriori et materiali*, quod determinationibus a sensu obliatis continetur.

(1) Recentiores Ontologi, saltem post declarationem S. Inquisitionis Congr., quadam distinctionem admittunt inter illud lumen et divinam essentiam; sed naturam hujus distinctionis, quæ respicit, in eorum systemate, non est nisi *verbalis*, nunquam clarè et definitè explicare poterunt.

(2) Ubahg. *Anthropologia philosophica elementa*, 1 p.; *Psych. c. 1 de cognitione*.



293. — *Fundamenta systematis expenduntur.*

Rationes, quibus ontologi suum systema tueri conantur, sunt nullius momenti, et aquivocatione generatim nituntur (1).

<sup>1a</sup> *Ratio.* Ens finitum non potest agnoscī ut finitum nisi prius cognoscatur ens ipsum; seu ens simpliciter, quod est ens infinitum. Ergo perperam Psychologi docent entia finita prius cognosci quam ens infinitum, seu ens, quatenus determinatum cognosci, antequam notio entis habeatur.

*Resp.* Sed hæc ratio est mera aquivocatio; in aliqua confusione fundatur inter rationem indeterminatam entis et ens infinitum, scilicet inter notionem quandam abstractam ac indeterminatam et Deum ipsum. Itaque in forma, *dist. ant.*: ens non potest cognosci ut finitum, quin sit antea in mente notio entis in *communī, trans.*, quin sit notio entis infiniti, seu ipsius Dei, *neg.* Deus enim perfectio non est ens in *communī* quod ab omni determinata perfectione præscindit (167-272), sed idcirco dicitur *ens simpli-*

(1) Ontologi patronos sibi adscribere conati sunt, S. Augustinum, S. Anselmum, S. Bonaventuram, et inter recentiores eand. Gerulium, sed immerito. Omnes expendere letus, quibus ejusmodi affirmatio coargueretur, his non vacat: verumtamen ob oculos verba sequentia S. Bonaventurae et S. Thomæ ponere expedit.

S. Bonaventura (lib. II, sent., d. 3, p. 2, a. 2, q. 2), in responsione ad sextam objectionem, quæ ex doctrina S. Augustini de immediata Dei visione petitur, ait: « Nec illud [intellectus agens est aliquid entis] est contra Augustinum, quia Augustinus vult quòd intra mentem et Deum nullum cadit medium, scilicet in *ratione causæ efficientis*. . . cadit tamen medium materialitatis, » quæ, ut ipse Doctor seraph. interpretatur, sunt *effectus visibiles*.

S. Thomas in *Summa theol.* [4. p., q. 84, art. 5]: « Quod autem Augustinus non sic intellexerit, omnia cognosci in rationibus æternis, vel in incommutabili veritate, quasi ipsæ rationes æternæ videantur, patet per hoc quod dicit in lib. 83. Q., quod rationalis anima non omnia quæcumque, sed quæ *sancta et pura facit*, assertur illi visioni, scilicet rationem æternarum esse idonea. » Eodem modo S. Augustinum interpretantur Suarez et omnes prorsus theologi alicujus momenti, itemque omnes S. Aug. enarratores. Inaudita ergo est interpretatio ontologorum. Vide P. Franzella (*Tract. de Deo uno secundum naturam*, thes. xi) qui veram sententiam S. Augustini præclare aperit et trias Ontologorum expedit.

Quod Cardinalem Gerulium fatentem illam defensionem doctrine à Melebranche inverte præmittit assumpsisse; sed postea, in maturiori sætate, hæc defensionem retractavit, et exinde ejus auctoritas ontologismo nullatenus favet. (Vide *Della conosc. intel.*, 1 part., c. II, a. XII-XV; *Phil. christ.*, p. sp., c. VII, a. V et alibi).

*citer*, seu ens sine addito, quia ejus essentia est ipsum esse. Deus, ut in theologia naturali dicemus, est ens simpliciter in ordine reali; *ens vero in communī potest dici ens simpliciter*, sed in ordine ideali. Jam vero ad ens finitum seu determinatum concipiendum requiri præviam cognitionem *entis in communī* fatemur: sed non requiritur prævia cognitio *Dei ipsius*, cujus ens finitum esset quædam determinatio: id enim pantheismus manifeste redolet. Id melius patet ibi dicendis in theologia naturali.

<sup>2a</sup> *Ratio.* Universalia cognosci nequeunt nisi in ipso Deo: universale enim aliquid immutabile, æternum, et quodammodo infinitum exhibet; atqui in rebus creatis nihil reperitur immutabile, æternum, infinitum. Ergo nisi Deum ipsum intueremur, omnes cognitiones nostræ universales, utpotè objecto carentes, falsæ essent.

*Conf.* Superius dicta de natura universalitatis, jam difficultatem expungunt, quæ ceteroquin confusionem importat universalis formalis cum universali fundamentali (II, 250). Universalitas in ontologorum mente habetur ut elementum *objectivum*, quod in *comprehensione* alicujus idee universalis involvitur. At idea, v. g., hominis, arboris, animalis, etc., dum analysi subjiciuntur, universalitatem non includunt in sua *comprehensione*. Universalitas enim formalis respicit sollemnem *extensionem*. Quomobrem idee universales non sunt falsæ, ideo quia quidditatem rei concretæ modo ideali et abstracto referunt; quiddid enim est in idee comprehensione revera in rebus reperitur.

<sup>3a</sup> *Ratio.* Intellectus humanus a potentia ad actum transire nequit, nisi per aliquid ejusdem ordinis quod sit in actu; atqui nullum intelligibile in actu in ordine creato. Ergo a solo Deo moveri potest potentia nostra ad cognoscendum.

*Resp.* Major hujus argumenti realitatem intellectus agentis jam de industria præterlabitur; intellectus enim agens est potentia semper in actu quæ proinde non eget determinatione, sed materia duntaxat (II, 258).

Minor etiam fundatur in falso intelligibilis conceptu: intelligibile, juxta ontologos, idem esset ac essentia divina. Confundunt enim intelligibile essentiale, semper in actu,

cum variis intelligibilibus in potentia. Eadem nunc reperitur equivocoatio quam antea patefecimus in conceptu entis (270-271). Itaque ratio adversariorum nullo fuitur fundamento.

4<sup>a</sup> *Ratio*. Modus cognoscendi debet responderi ordini ontologico cognoscibilium; atqui suprema causa et ratio omnium cognoscibilium est ens absolutum. Ergo...

*Dist. maj.* Modus ille cognoscendi perfectissimus, qui proprius est solius Dei, seu intelligentiæ perfectissimæ, debet responderi... *conc.* Modus noster cognoscendi imperfectus debet... *neg.*, ut satis constat ex facto quoad innumeras veritates.

294. — *Confutatio directa.*

THESIS I. *Deus a nobis in hac vita non potest directe et immediate videri.*

*Prob. I.* Si Deus esset objectum directum et immediatum visionis in hac vita, conscientia id aliquo modo renuntiare deberet, aut saltem hanc intuitionem pernegare non posset; atqui conscientia non modo intuitum nostrum immediate in Deum versari non testatur, sed contra pernegat ejusmodi intuitum directum et immediatum. Ergo nisi conscientia testimonium sit fallax, falsum est nos immediate Deum intueri.

*Maj.* ipsius argumenti negari nequit; nam conscientia referre potest facta interna, quæ ipsam afficiunt; porro hic mirabilis intuitus deberet profecto conscientiam afficere. Sed etiamsi id renuntiare positive quæcumque de causa non posset, saltem contrarium nunquam testatur.

*Minor* refert factum omnibus pervium; nemo enim hominum conceit se Deum ipsum directe et immediate intueri; imò a tali assertionem sponte refugiunt omnes. Quamobrem conscientia testimonio doctrina Ontologorum reluctatur. Ergo.

*Prob. II.* Visio directa et immediata Dei est intuitus immediatus essentia divina, quæ propter suam simplicitatem non potest ex parte videri; atqui talis visio essentia importat destructionem distinctionis inter visionem naturalem et visionem beatificam, ac proinde excedit in hunc Beguardorum errorem, quem Concilium Viennense

damnavit: « *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante, ad videndum Deum.* »

*Maj.* in discrimen revocari nequit: nam ob Dei absolutam simplicitatem, fit ut aliquid de ipso videri non possit quin illud sit ipsa essentia tota, licet inadæquate et imperfecte perspecta. Itaque ontologi, dum hodiè generatim fatentur nos hac vita ipsam Deum *essentiam* non intueri, et simul affirmant nos *Deum ipsum* intueri ejusque attributa, pugnantia loquuntur. Id melius patet ibi dicendis in Theologia naturali.

*Minor* non potest liquida mente considerari quin ejus veritas sponte appareat. Visio enim beatifica semper definitur ab Ecclesia: « *Visio directa et immediata essentia divina, ... visio facialis, nulla mediante creatura in rationem objecti visi se habente* (1), etc. » Porro juxta ontologos, Deum ipsum directe et immediate intuemur, nulla interposita creatura. Præterea nullus excogitari potest modus diversus pro visione beatifica. Ergo.

*Prob. III.* Evidens est illam rationem entis quam primum cognoscimus (II. 267), ex qua progredimur ad omnes gradus entis cognoscendos, et sub qua omnia cognoscimus, esse ens abstractam, ens in communi. Porro si illud ens confunderemus cum ente infinito, in pantheismum impingeremus.

295. — *Scholium.* Quædam propositiones ad ontologismum spectantes, non tute a sacra Inquisitionis Congregatione declaratae sunt (18 sept. 1861), quarum priores ad presentem thesim pertinent.

Prop. I. « *Immediata Dei cognitio, habitualis saltem intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.* »

Prop. 2. « *Esse illud, quod in omnibus, et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.* »

Prop. 3. « *Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur.* »

296. — THESIS II. *Immediata Dei intuitio non est medium cæterarum cognitionum.*

*Probatur.* Deus non potest esse medium cognitionis

(1) Const. Benedictus Deus, Benedicti XII.

omnis intellectualis, quominus in Deo videamus ideas rerum archetypas. Atqui falsum est nos ideas Dei archetypas intueri in Deo ipso. Etenim 1<sup>o</sup> si ita esset, statim et plenè essentias rerum intimas cognosceremus, quod est omninò falsum, ut experientia demonstrat. Præterea 2<sup>o</sup> actum ipsum quo Deus suam essentiam ut imitabilem cognoscit (209), intueremur, imò et participaremur, quod, remotò pantheismo, est inexplicabile prorsus; id ceteròquin ipsius essentia intuitionem importaret; æternæ enim rerum rationes nihil aliud sunt fundamentaliter quam ipsa divina essentia quatenus imitabilis. Ergo immediata Dei intuitio haberi nequit ut medium cæterarum cognitionum.

207. — THESIS III. *Semi-ontologismus, sicut et ontologismus rigidior, rationalismo et pantheismo favet, et rationi repugnat.*

*Prob. 1<sup>a</sup> pars. Aditum ad rationalismum et pantheismum complanat :*

1<sup>o</sup> *Rationalismus* consistit in negatione supernaturalium veritatum, seu in affirmanda *absoluta* rationis sufficientia ad quodlibet verum cognoscendum; atqui si mens humana Deum videret, jam nostræ cognitionis objectum excluderet omnem distinctionem inter veritates naturales et supernaturales : intueremur enim *verum eorum*.

Si autem Deum in idea entis, seu in lumine divino nobis communicato, quod tamen est aliquid identicum cum ipso Deo, intueremur, mens humana, hoc modo cognoscendi prædita, sibi evidenter sufficeret ad quodlibet verum cognoscendum; ideoque non darentur veritates *per se supra rationem*.

2<sup>o</sup> Ontologismus accedit ad *pantheismum*. Ontologismus Deum ipsum confundit cum ente abstractissimo et universalissimo, quod de omnibus entibus predicatur, necnon affirmat res *non esse in se ipsis* intelligibiles, sed solum in Deo : itaque jam ad pantheismum viam complanat.

Præterea semi-ontologismus, dum affirmat *ideam entis*, quæ est in nobis, et constituit lumen essentiale intellectûs nostri, esse Deum ipsum cognitum ut Ens, aut esse lumen divinum ipsi Deo identicum, propinquius evidenter pergit ad affirmandam identitatem hominis cum Deo : si hæc idea

est aliquid nostri, jam efficeremur participes essentie divinæ. Ergo semi-ontologismus, præter absurditates ontologismi puri, magis periculosus evadit.

II<sup>a</sup> *Pars. Est rationi repugnans.* Semi-ontologismus non modò affirmat nos omnia in Deo videre, sed præterea declarat ipsum lumen divinum esse in nobis, juxta verba Psalmi : *Signatus est super nos lumen oculis tui*, quo in casu *idea entis* nuncupatur; atqui præter rem ipsam modus etiam plane repugnat, nempe hoc lumen, cum Deo ipso identicum, esse in nobis medium cognitionis. Id enim non levi confusione laborat; hæc idea 1<sup>o</sup> est simul lumen divinum et lumen rationis humane, 2<sup>o</sup> est terminus objectivus et principium quoddam subjectivum cujuslibet cognitionis. « In Deo ipso et per Deum videmus » 3<sup>o</sup> est aliquid divinum seu ipse Deus, et tamen juxta Recentiores (1), non esset divina essentia, sed aliquid nobis intrinsicum, siquidem intuitio est operatio immanens, etc.

Præterea idea particularis non sunt aliud nisi hæc idea entis varie determinata; exinde lumen divinum vel pro libito hominis contrahitur, et tunc mens humana Deum determinaret, vel a Deo ipso, qui tunc in homine omnes cogitationes efficeret efformaret, etiam maximè pravas. Ergo illud systema non est aliud nisi series ambiguitatum et contradictionum.

298. — *Sec. I.* Disputatio vix institui potest contra semi-ontologos, qui arbitrio suo sensum vocem et notionum immutant, atque nihil affirmant quod sit definitum ac determinatum; quapropter eorum systema ad pugnantia simul de eodem affirmanda facilimè se accommodat.

299. — *Sec. II.* Inter propositiones, quæ juxta decretum S. Congregationis Inquisitionis, tubi tradi nequeant, sequentem habemus :

*Prop. 4. « Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia, omnem aliam cognitionem eminenti modo explet, ut per eam, omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est implicite cognitum habeamus. »*

300. — THESIS IV. *Systema, quod ex innata idea entis sive possibili, originem idearum repetit, innumeris scælet æquivocationibus.*

*Prob.* Illud ens sive reale sive ideale, quod in idea entis continetur, et omnem cognitionem antoverit, juxta Ontologos et Rosminianos, est 1<sup>o</sup> *universale, infinitum*, et simul est quod re-

(1) Cf. p. 212, nota.

peritur in qualibet affirmatione, etc.; 2º illud sensatione vel aliter diversimode determinatur ad constituendas ideas genericas et specificas; demum 3º est terminus objectivus cuiuslibet intellectiois.

Atqui si primum, jam realitas affirmata ab intellectu esset sive Deus ipse, sive ens infinitum, universale. Hinc propositio: Lapis est ens, idem valet ac: Lapis est Deus, aut lapis est ens universale. Ab ipsis adversariis modo sequenti proponeretur: idea lapidis quam intueor, est Deus, vel ens universale; aut lapis, quatenus intelligibilis, est Deus.

2º Hinc idea, sive sit ens reale, sive ens possibile, aut immediata Dei actio, etc., nequit ab ipsa sensatione determinari. Si agitur de ente ideali, manifestum est illud a facultate organica positivè determinari non posse (II, 256); at multò minus, si est reale. Ergo remaneret ut homo quasdam spontaneas hujus entis evolutiones, que per se ordini existentiarium non responderent, intellectus capiat: indè idealismus purus.

3º Id quod intellectu deprehendimus, nequit esse ens reale quominus istud sit omnis realitas cognita, seu fiat omnia, si quidem intellectus quadammodo cognoscit Deum, mundum et hominem: hinc pantheismus. Si id quod cognoscit intellectus est ens ideale, ita vel aliter determinatum, jam cognitio unieb huic enti objectivè terminatur; quapropter veritas conceptum (154) aut penitus aboletur, aut saltem remanet hypothetica. Si ipsa idea innata ejusque determinatio actione divina in nobis gignitur, jam Deus ipse formaliter efficit omnes nostras cognitiones.

Relictis igitur aliis conclusionibus absurdis, dicta sufficiunt, et inor, ad hanc falsam et periculosam sententiam penitus convellendam. Non est cur in innumeris subterfugis et confusioibus hujus systematis emendandis immoremur.

301. — Sch. Inter propositiones, quas S. Congr. Rom. et Univ. Inquisitionis suspectas habuit, sequens reperitur. Prop. 5: « Omnes aliæ ideæ non sunt nisi modificationes ideæ, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur. »

Cor. Ex dictis sequitur generale systema de ideis innatis, seu intellectui humano ab origine inditis ab auctore nature, esse falsum, cum reapse revocari possit sive ad idealismum transcendentalem, sive ad doctrinam Rosminianam de ente ideali quæ vix differt ab ontologismo, sive demum ad semi-ontologismum. Specialis forma illius systematis a Cartesio introducta vix confutatione digna cum manifestò repugnat experientie, et ostendit nimò inutilis ad explicandam originem idearum, et tandem non

falsè innotuit principio quod cogitatio constituit essentiam anime humane (1).

## ARTICULUS III.

## De volitione.

302. — Volitionis nomen sumi potest 1º pro actione voluntatis circa finem absolutè spectatum: in quo sensu potest etiam vocari primus voluntatis actus, quia nullum priorem supponit. Hic « voluntas aliquid, non quatenus presens aut absens appetit, sed simpliciter prout est bonum quoddam amabile (2). » 2º accipi potest pro quolibet acta, quo voluntas versatur circa bonum aliquid sive sit medium, sive finis: quo sensu hic usurpatur.

Volitio in facto esse spectata, appellatur voluntarium. Voluntarium ergo est id quod procedit a voluntate cum cognitione finis. Sed notandum est voluntarium sumi posse in sensu lato et in sensu stricto: voluntarium late sumptum, usurpatur pro eo omni quod ad voluntatem spectat, sive illud sit voluntatis objectum, sive illius effectus: in sensu stricto voluntarium usurpatur pro eo omni actu et motu elicitu, aut imperato a voluntate. Actus est elicitus, quando immediate pendet a voluntate: dicitur imperatus, quando voluntas vel sibi ipsi, vel aliis facultatibus imperat.

Voluntarium quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potentia ad oppositum, dicitur liberum; quolibet ad actum liberum requiritur 1º cognitio et intentio finis, quam voluntarium jam exquirat; 2º Consilium: nam subaudit formaliter potentiam ad oppositum, ideoque opus est actione intellectus, qua varia (cf. t. III) inquiruntur media ad finem obtinendum; 3º deliberatio, qua ratio iudicat talia media esse magis idonea ad finem propositum.

(1) Vid. Palmieri, Inst. ph., Anthrop. c. iv, th. 34; Zigliara, sum. (hil. Psych., l. IV, c. 2, a. 3.

(2) Frassen, Ph. mor., sect. VI.

Deliberatio differt a consilio : consilium enim est inquisitio rationis ante iudicium de eligendis, dum deliberatio est consilium de eligendis, post inquisitionem eorum quæ sunt ad finem; 4<sup>o</sup> *consensus* seu *electio*, quæ est actus voluntatis acceptantis unum medium ab intellectu propositum in ordine ad finem, comparatum cum aliis mediis et cum ipso fine.

303. — Circa volitionem, quaeremus duntaxat a quo habeant actus liberi esse liberi *formaliter* : plena enim de volitione disputatio ad Ethicam pertinet : qua de causa in præsentî intime indagare intendimus naturam tantum actûs liberi, qui legi morum subjacet.

Ex instituta analysi actus liberi, constat rationem et voluntatem ad exercitium hujus actûs concurrere : ideoque docent communiter Theologi et Philosophi radicem libertatis esse voluntatem, sicut *subjectum*, sed sicut causam esse *rationem*. Liberum enim arbitrium non est potentia ab intellectu et voluntate distincta. Libertas tamen in sola voluntate formaliter residet, quia intellectus *secundum se* neque est liber quoad specificationem sui actûs, neque quoad exercitium.

Intellectus verò dicitur causa libertatis, quatenus voluntati proponit motiva assentiendi, seu hanc facultatem dirigit et illustrat. Id autem efficit aut per iudicium *speculativum*, aut per iudicium *practicum*. Iudicium speculativum illud est quò objectum asseritur bonum esse vel malum, ac proinde dignum quò appetatur vel rejiciatur : huius iudicio speculativo correspondet in voluntate amor simplicis complacentiæ, vel odium simplicis displicentiæ. Iudicium practicum illud est quò intellectus, post calculum momentorum, definit hoc esse eligendum.

Iudicium practicum, ut moment aliqui, est vel *universale*, vel *particulare*, quod iterum duplex est : *absolutum* et *conditionatum*.

304. — THESIS I. *Intellectus movet voluntatem, non physice, sed moraliter, medio nempe objecto, quod proponit.*

*Prob. I<sup>a</sup> pars.* Intellectus voluntati objectum proponit vel prosequendum vel fugiendum : porro, semota hæc

propositione, voluntas non ageret, quæ non tendit in incognitum. Ergo intellectus quodammodo voluntatem movet.

*I<sup>a</sup> pars.* Non movet physice sed moraliter, nempe, *intellectus nullo modo est causa efficiens et physica actionum voluntatis*, ut jam patet ex distinctione facultatum.

*Prob.* Existente intellectûs motione, non ponitur necessariò voluntatis operatio : positus enim ad agendum requisitis, voluntas adhuc remanet *indifferens ad agendum vel non agendum*, seu libera. Ergo intellectus dicitur voluntatem movere, quatenus hanc facultatem illustrat et edocet, ei proponendo objectum sub ratione convenientis vel inconvenientis.

305. — THESIS II. *Voluntas, modo determinato, moveri potest per quolibet iudicium, sive speculativum sive practicum.*

*Nota 1<sup>a</sup>.* Juxta Bellarminum et alios, voluntas ad eligendum prodire non posset sine prævio iudicio practico. Aliter sentit Suarez, qui docet sufficiens esse iudicium speculativum, quò duntaxat prælucente, sæpenumero electio perageretur. Utraque sententia non levibus fuitur rationibus. Ideoque alteram sententiam ut *probabiliores* propugnamus.

*Nota 2<sup>a</sup>.* Cum iudicium speculativum minus expresse indicet voluntati quam iudicium practicum, quid prosequendum sit vel fugiendum, sufficit ut probatio versetur circa iudicium speculativum.

*Prob. I.* Voluntas non est minus expedita ad agendum quam aliæ facultates, quæ feruntur in sua objecta, quando sunt sufficienter præsentia; atqui objectum voluntatis sufficienter præsens est per iudicium speculativum : hoc enim iudicium voluntati proponit objectum sub ratione boni vel mali, nempe rei convenientis vel inconvenientis. Ergo, etsi iudicium speculativum voluntatem expresse non moveat, tamen ei admoveat objectum sufficienter illustratum.

II. Ex repentinis motibus voluntatis qui vocari solent *motus primo primi* constat voluntatem aliquid objectum

appetere posse quin intellectus practicè iudicet illud esse appetendum.

*Scholium.* Qui alteram tenent sententiam, docent 1<sup>o</sup> voluntatem non posse determinari ad actum liberum nisi precedat in intellectu definitum iudicium: voluntas enim non potest ferri nisi in objectum cognitum, cum sit appetitus *rationalis*; porro cognitio vera non est sine iudicio (155): quapropter sine iudicio proponente objectum ut hic et nunc amplectendum, cognitio non responderet *adequate* volitioni, 2<sup>o</sup> illud iudicium esse debet practicum in sensu definito (II, 303): *fac hoc*, quia secus voluntas sine ratione etiam duceretur, seu reapse ferretur in incognitum, cum iudicium speculative non proponat *tale* objectum ut hic et nunc eligendum.

306. — Tesis III. *Voluntas, posito etiam ultimo iudicio practico, remanet libera sive quoad exercitium sive quoad speciem actûs.*

*Nota I.* Juxta plures, voluntas in agendo non solum dependet a iudicio practico intellectûs (II, 305), sed etiam determinatur ab hoc iudicio practico, et quidem ab *ultimo*, quod est maxime determinatum.

*Nota II.* Iudicium practicum dupliciter hic intelligi potest: 1<sup>o</sup> quatenus est ultimum iudicium intellectûs, quod precedit electionem voluntatis, 2<sup>o</sup> quatenus est ultimum iudicium intellectûs quod sequitur electionem voluntatis: in hoc sensu ergo docet Bellarminus iudicium practicum a libera voluntate oriri, quæ intellectum convertit ad unius partis motiva exclusive contemplanda: et sic intellectus fit practicus ex speculative: unde illud iudicium non antecederet, sed consequeretur exercitium libertatis, et voluntas rigorose determinaretur ab ultimo iudicio practico. In sententia Suarezii (1), voluntas non necessario sequeretur iudicium practicum quod cæteroquin aliquando præverit (II, 305, nota 1<sup>a</sup>).

*Prob. I.* In prima sententia, ultimum iudicium practicum esset liberum ex voluntatis imperio; atqui voluntas ad hoc iudicium imperandum, non nisi ab alio anteriore iudicio

(1) *Metaph.*, d. XIX, S. 6, et *de Grat.*, l. 1, c. 2, n. 4, etc.

practico determinaretur, et sic in infinitum, quod est absurdum. Ergo necesse est ut etiam posito iudicio practico, libera remaneat voluntas, quæ proinde non necessario moveretur ab illo iudicio.

*Mior* constat: Voluntas, juxta hypotesin, non eligit, nisi huic electioni præluceat iudicium practicum, cum ipsa electio ab hoc ipsomet iudicio propriè determinaretur; sed illud iudicium, juxta hypothësim, jam a voluntatis determinatione pendet, seu ab aliquâ electione. Inde patet quodlibet iudicium practicum semper aliud prævium subaudire: ex quo sequeretur quamcumque liberam voluntatis determinationem esse impossibilem.

II. Si posito illo iudicio practico, voluntas non posset illi non consentire, jam ipsamet non esset potentia libera: positus enim omnibus absolute prærequisitis ad operandum, non posset velle et non velle. Porro discrimen inter potentiam naturalem et potentiam liberam in eo est quod naturalis, positus omnibus ad agendum requisitis, necessario determinatur ad agendum, libera autem non determinatur, sed potest agere et non agere. Ergo...

III. Nostra experientia constat voluntatem, non modò post iudicium speculative: *hoc est eligibile*, sed etiam post ultimum iudicium practicum: *hoc est hic et nunc eligendum*, sæpenumero nos hoc bonum respicere:

Video meliora proboque,

Deteriora sequor.

IV. Iudicium illud voluntatem moveret vel ratione objecti, vel ratione sui, quia haberet speciem efficaciam ad determinandam voluntatem. Atqui 1<sup>o</sup> objectum propositum non semper infert necessitatem voluntati (II, 213, 214, 217); 2<sup>o</sup> si ratione sui moveret, jam intellectus, cujus munus est illuminare ac dirigere voluntatem, eam efficienter moveret (II, 304). Ergo...

307. — *Scholium.* Juxta nonnullos, (nota 2<sup>o</sup>) iudicium practicum esset liberum ex *vi voluntatis* emanantis talo objectum, et voluntas ipsa amaret talo objectum ex *talis iudicii* imperio. Hoc modò illi duo actus essent sibi invicem causa. Sed id est impossibile, nam, ut ait Suarez (1), « in

(1) *Metaph.*, l. loc. cit. n. 5

omni actu vitali sufficiens applicatio objecti necessarii ad actum, simpliciter et in omni genere causæ antecedit talem actum, nec fieri potest ut ipsa objecti applicatio effective proveniat ab actu ad quem ordinatur; sed iudicium rationis requiritur ad actum voluntatis ut applicans objectum. » Ergo...

## FINIS PSYCHOLOGIÆ.

## THEOLOGIA NATURALIS.

308. — *Theologia*, ex ipsa nominis etymologia, significat de Deo rationem sive sermonem. Sed inter ea quæ Deo, *etiam ut unus est*, attribuantur, multa duplici Theologia cognosci possunt, naturali scilicet et supernaturali: *naturali* quidem, quatenus ex effectibus hæc cognoscuntur; *supernaturali*, quando hæc cognitio sive per visionem beatificam sive per divinam revelationem obtinetur.

Quamobrem ratione *medii seu luminis*, triplex distingui potest Theologia, nempe *visionis, revelationis et ratiocinationis*. Triplex enim est lumen quo Deus hominibus innoscit: lumen gloriæ, lumen fidei et lumen rationis naturalis. In hac tractatione agitur solummodo de Theologia ratiocinationis, nempe de Deo, quatenus lumine rationis naturalis et *per ea quæ facta sunt*, nobis patescit. Qua de causa, hæc nuncupatur *Theologia naturalis*.

Naturalis igitur Theologia a supernaturali differt, non primariò et totaliter quoad objectum *materiale*, sed quoad objectum *formale*. Formalis enim ratio *sub qua* theologiæ supernaturalis in *revelatione* sita est, dum ratio formalis theologiæ naturalis est *naturale lumen rationis*, quo veritates ad Deum spectantes nobis per creata visibiles redduntur.

309. — Ad nostrum institutum accedentes, præsentem tractationem ratione tali distribuemus: 1<sup>o</sup> Queremus quomodo Deus generi humano sese *naturaliter* cognoscendum manifestaverit, ita ut ex hac manifestatione possimus *Deum existentem* ratione intelligere et demonstrare. Hæc disquisitio veluti transitum exhibet inter Psychologiam et Theologiam. 2<sup>o</sup> Cognita et demonstrata Dei existentia, queremus *quid sit Deus*; licet enim Dei essentia a nobis neque comprehendi neque ut *in se* est intelligi possit, non